



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

Titvlvs XII. De seruis non ordinandis. Hic titulus deest in Nouis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



tuo patre aliud in eadem Ecclesia de nouo obtinere non potest; cum hac ratione paternæ incontinentiæ memoria refricaretur, id quod in prædicto Concilio prohibitum est in quantum prohibet eis, vt in ecclesiis, vbi patres beneficium aliquod obtinuerunt, non possint etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis ecclesiis quocummodo ministrare; nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinuerunt habere. Quæ verò de filiis presbyterorum, aut in Extrauaganti Clementis VII. quæ incipit. *Ad canoniam conditores*: aut in Concilio præfato Trident. statuntur, ad nepotes presbyterorum extendi non debent, quasi nepotes ab eorum beneficiis sicut filij, excludantur: eo quod iura cum loquantur de filiis, ad nepotes secundum magis veram, & communiorum opinionem non sunt extendenda glo. in c. presbyterorum, dist. 56. maxime cum alia ratio sit filiorum illegitimos, alia verò nepotum, qui legitimi sunt. Neque enim Nepos legitimus paternam incontinentiam, sed continentiam refert filius autem illegitimus incontinentiam patris representat militatque pro eo illa præsumptio, quod filius patri similis esse præsumitur.

Aduertendum est circa id quod tradit author de Nepotibus, quod cum Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinales Congregationis Sacri Concilij Trid. existimauerint, tã in dicta constitutione Clementis VII. quàm in Concilio Trid. sub illa prohibitione. Ne filij illegitimi beneficium paternum obtinere possint, comprehendere nepotem legitimum ex filio illegitimo, respectu beneficij, aucti ob ea Concilij verba *Longissime*, nec vlla in his terminis Rotæ decisio reperta fuisset itauerunt postea iidem Cardinales ex ordine S. D. N. Gregorij XIII. intelligere, quid de hac re Rota sentiret, vbi vt notat Nauar. conf. 10. in Nouis, decium fuisse in Rota duodecima die Februarij 1574. nõ comprehendere nepotem legitimum ex filio legitimo neque sub Clementina, neque sub Concilio Trident. tam inspectis verbis, quam etiam inspecta mente, seu ratione tam Clementinæ, quàm Concilij, quæ Rotæ decisio probati facile potest, si quidem si verba Clementinæ consideremus, certum est illa non conuenire nepoti legitimo, vt patet ibi. *In ipsorum resignantium filios ex fornicatione natos, &c.* & ibi. *Super defectu Natalium quem ex dictis Sacerdotibus resignantibus genui patiebantur.* & ibi. *ob inordinatum spirituum filiorum amorem.* &c. & ibi. *Quod de cetero filij presbyterorum ex fornicatione nati, &c.* Similiter nec verba Concilij conueniunt, vt patet ibi. *Qui non ex legitimo Matrimonio nati sunt.* Vnde cum regula generalis sit, quod vbi verba dispositionis non conueniunt; neque dispositio ipsa conueniet, ex Bartolo, & Decio in l. 4. §. prætor ait, de dam. inf. & idẽ Bar. in c. 1. num. 2. de elect. & Alciat. in l. liberorum. nu. 6. de verb. sign. & ibidem Alex. in ver. Tertius casus est, & in dictis constitutionibus solam mentio fit filiorum; non ea solam ratione, quod filij sint, sed quia nati sunt fornicatione; consequens est, vt que de solis filiis illegitimis statuuntur, in nepotibus legitimis locum non habeant, ex Bar. in l. si. Co. de filiis natur. qui etiam cum alijs communiter concludit conclus. 1. num. 58. de verb. signif. nepotem legitimum ex filio illegitimo heredem ab aucto institui posse, quia in eo vitium paternum, & per consequens qualitas patrem excludens cessat, vt docent Card. Paleot. de Nothis, & Spurijs, c. 53. & Couar. in ept. par. 2. ca. 8. §. 5. nu. 13. Sed neque mens, aut ratio Clementinæ, aut Concilij locum habet in nepote, nam filius representat incontinentiam patris, nepos autem non item; Et filius præsumitur esse similis patri, non sic nepos respectu aucti siue ergo verba, siue mentem Clementinæ, aut Concilij inspicimus, dicendum est nepotes legitimos non excludi, cum nõ militet eadem ratio, & materia est odiosa. Et quia si Clementina, vel Concilium nepotem legitimum excludere voluissent, nepotem etiam, sicut filium nominassent. Denique huius opinionis sunt Glof. in c. presbyterorum, verb. filios, dist. 56. & in ca. Apostolica, 8. quæst. 1. Archid. ibi. Goffred. in summa, num. 5. de filiis presbyt. lo. And. in cap. Ad extirpandas, tit. eod. & Ambr. ibidem Pisanella, & alij summissæ communiter in verb. illegitimus.

## TITVLVS XII.

De seruis non ordinandis.

Hic titulus deest in Nouis.

## S V M M A R I V M.

1. Seruus fugitiuus ad dominum redire tenetur, nisi probabilis timor eum excuset, & quid tunc faciendum.

## DECISIO I.

Ex consil. unico alias 2. de restit. spoliatorum.

1. Seruus fugitiuus in foro conscientie ad Dominum redire tenetur, aut eum contentum facere, quod non re-deat, nisi iusta aliqua causa, qualis est probabilis timor per dendi vitam, eum excuset: cum seruus fugitiuus sit de bonis fortunæ Domini sui: Non tenetur tamen restituere se illi cum iactura bonorum altioris ordinis, scilicet vitæ, eo quod nemo ad restituendum bona minoris ordinis tenetur cum iactura bonorum maioris. Arg. c. officia, de pen. & remiss. & ex Nau. in Man. ca. 17. nu. 87. Tenetur autem semper habere intentionem Domini satisfaciendi, aut eum contentum faciendi modo meliori quo potest, soluendo ei per se, vel per alium, iustum pretium, & quicquid acquirit, & lucratur, Domino suo quærere.

## TITVLVS XIII.

De corpore vitiatu.

## S V M M A R I V M.

1. Ordinarius Papa mandatum exequi non debet, quando ex illius executione peccatum, aut scandalum sequitur.  
2. Pollex non est membrum, cuius parte tamen qui caret, quando sit irregularis.  
3. Castratus ob egritudinem de consilio Medicorum, potest sine alia dispensatione ordines sacros accipere.  
4. Suspensus ter est, qui sine literis dimissorijs ordinarij, tres ordines sacros accipit.

## DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 20. de rescript. in Nouis.

1. Vitium deformis corpore a Papa impetrans commisionem dispensandi cum eo ad Episcopum originis ad ordines, & beneficia & ab eo dispensatus, impetras ecclesiam parochialem alterius diocesis a Papa in forma dignum, videlicet, vt ordinarius diocesis si eum reperiret idoneum, confetret eum illi: non obstante dispensatione a legato Papæ facta super præfati curati deformitate, mandatum Papæ exequi ordinarius non tenetur: immo exequendo & ecclesiam parochialem tali deformi conferendo peccat; cum mens Papæ non sit, vt quis mandata sua exequatur, quando ex eo quod præcipitur exequuto, sequeretur peccatum, aut scandalum populi, ca. Nihil cum scandalo, & c. si quando, de refer. & Fel. ibi. & Inn. in c. Inquisitioni, in fi. de sentent. ex com. quod probabiliter sequi solet dum valde deformis ad Sacramentorum administrationem admittitur.

## DECISIO II.

Ex consil. 1. in Nouis, deest in antiquis.

1. Cum pollex membrum non sit ex Nauar. in Man. cap. 27. num. 206. & 262. qui pollice caret, irregularis non est, dummodo per indignationem sibi non abutulerit, ex Nauar. in Man. c. 27. nu. 198. nec exinde inducatur impotentia celebrandi, aut magna deformitas, seu scandalum in celebrando, ex Nauar. in Man. ca. 27. num. 197. De qua tamen re si dubitetur, an sine scandalo celebrare possit, & an inducat magnam deformitatem, quæ celebrationem impediatur, declaratio Episcopi requiritur, non autem sufficit arbitrii cõfessarij, aut alterius Prælati inferioris: Quod si Episcopus semel magnum induci scandalum declarat, irregularis erit, & a solo Papa dispensari potest.

DE.